



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Ad Herodem missus illuditur. 55

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

ELOGIUM LV.

AD HERODEM MISSUS ILLU-
DITUR.*Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18.*

Condemnatio tua Christe,
 Major iniquitas est,
 Quam ut illam unicuam capere forum possit.
 A sacro ad profanum rejeceris,
 Ut utriusque judicem agere
 In utroque Reus edisceres.
 Non miraberis posthac
 De Judiciis querelas pauperum,
 Qui eorum expertus in Judiciis fortunam es,
 Causa minime quaestiuosa,
 Non inuenit in tam multiplici Curia
 Cognitorem.
 A foro suo, & Sacerdos, & Prætor
 Reum excludit,
 Cui omnis inest innocentia, nulla pecunia,
 Ditioni suæ subditum
 Bene te non norat Pilatus,
 Nisi mox nequiori Domino subditum credidisset.
 Hæreditaria Herodi odia tua sunt;
 A patre hausit, ut & videre cupiat,
 Et illudere.
 Et illudit ille te plane,
 In eo vel maxime,
 Quod cum tuam tibi Vocem,
 Joannem videlicet ademisset,
 Adhuc à te responsum exigeret.
 Lupum quia videras, Agnus taces.
 Expectanti monstra
 Non habes quod majus objicias
 De misero, Verbo muto.
 Pascendis Aulæ otiosis natus non es;
 Utpote qui omnium utilitatem intendis,
 Nullius admirationem.
 Reges ridiculi tui sunt, non tu Regum.
 De te illi semel,

Cur per tot fora tra-
ductus Iesus.

Pauperes enim, qua-
lis is erat, vix audi-
untur in judiciis.

Cur si ipsi, qui Chri-
stum perditum vel-
lent, ejus à se causam
rejicerent.

Herodes enim, hujus
Herodis pater, is fuit,
qui innocentes per-
emit, ut Christum
perderet cum iisdem.

Ex Chrysol. vox
Christi Joannes: ait
enim, Ego vox
clamantis. Tam verè
dicitur lupus He-
rodes, quam Christus
agnus.

Quare Christus mi-
racula, qua exige-
bantur ab Herode,
patrare noluerit.

*Et Reges ridiculè
ejus erunt, seu Ty-
ranni, Habac. 1.*

*Occiderat enim
Ioannem Baptistam.*

*Illust eum, & in-
ferum veste alba
dimisit.*

*Rei in iudicio non nisi
atrati apud
antiquos.
Regis enim, & non
Dei ad exemplum
componuntur
milites.*

*Nato Christo, canunt
Angeli, & in terra
pax hominibus bonæ
voluntatis.*

*Herodes & Pilatus
facti sunt amici ea
die, cum antea essent
inimici.*

Arist. in mora lib.

*Illum enim dicuntur
deduxisse, ut crucifi-
gerent, non ut
iudicaret.*

Tu de illis semper fabulas dabis,
Ut assidue ludas in orbe terrarum,
Hystrionicus nunquam extitit lusus tuus.
Homicidam homo mitissimus
In Colloqui communionem non recipis.
Mavis ab eo credi fatuus,
Quam parum opportunè festivus.
Transfiguras te iterum in veste alba;
Supplet color iste Patronum;
Tuam describit Innocentiam cum illudit,
Attratum te tam bona causa non patitur,
Candidatus Crucis
Accusari de illius ambitu potes,
Condonas exercitui, quod te negligat;
In Herodis enim aula jam nosti,
Plus aliquid Regis exempla posse,
Quam Dei.

ELOGIUM LVI. AD PILATUM REDUCITUR

Math. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 18.

Excedit promissâ sua Deus in Donis;
Pacem promisit bonæ voluntatis hominibus,
Dedit & malæ,
Pilato, & Herodi odia omnia
Mitissimæ Majestatis excussit aspectus,
Cum utrique antea
In nullo convenire se crederent,
Ea die in eo agnovete se similes,
Quod utrique plurimi facerent homines,
Nihili Deum.
Ita impios, qui veræ amicitiaæ capaces non sunt
Solius conciliat improbitatis affinitas:
Amici non aliter,
Quam quia idem omnibus
Inimicus opponitur Deus.
Exigunt à Pilato Carnificis partes, non iudicis
Ad quem Reus non iudicandus,
Sed Crucifigendus adducitur,

Fati-